

Istud vero  
 tametsi experientia constat duce magistraque,  
 cur tamen alii aliis anni  
 formidolosiores hominibus, certe notabiliores sint,  
 hoc quo obscurius atque magis ambiguum est,  
 eo facilius sententiarum diuortia  
 parere et parare potuit.

III.  
 Ratio anno-  
 rum clima-  
 tericorum  
 non est in  
 numeris.

Sunt,  
 qui, secuti Pythagoram,  
 principem philosophorum temporis antiqui,  
 numerorum indagatorem solertissimum,  
 ipsi numero tam septenario, quam nouenario  
 in macrocosmum pariter ac microcosmum  
 virtutem et efficaciam  
 tribuunt.

Cui vt fidem faciant,  
 in macrocosmo  
 septem septentrionum, hoc est, vtriusque vrsae,  
 septem pleiadum stellas fixas,  
 septem, ex mente veterum, erraticas stellas,  
 septem circa axin mundi circulos, minimis polos tangentibus,  
 septimo Zodiaci signo solstitium a solstitio,  
 aequinoctium ab aequinoctio esse,  
 septem diebus phasin lunae,  
 et quater septenis integrum lunae circulum absolui,  
 septem sonos artem musicam integros comprehendere;  
 in microcosmo vero  
 septem primis diebus rudimenta hominis in vtero poni,  
 septimo mense embryonem absolutum esse,  
 septem primis mensibus post natiuitatem dentes,  
 et septenos ex vtraque parte gigni solere,  
 et cadere annis septenis,  
 et genuinos annasci annis fere bis septenis,  
 septem in homine partes externas,  
 caput, binas manus, binos pedes, pectus, dorsum,  
 septem in capite foramina,  
 oculorum, aurium, narium, oris,  
 septenos morborum acutorum dies esse *κρίτικὸς ἢ κρίσιμος*,

natura